

Vetus est traditio, cuius auctor R. Josue fertur: Tribus vicibus portarunt Sacerdotes arcam. (Semel,) cum Jordanem pertransirent: (Deinde) illa die cum Hierichuntem circuirent: Et (denique) cum cum illam in locum suum deferrent. Quamprimum vero imbuti sunt pedes Sacerdotum aqua, retrocedebant illae, cœu scriptum est (vers. 15.) Cum pervenirent portantes arcam usque ad Jordanem, & pedes Sacerdotum portantium arcam intingerentur in extremitate aquarum ejus. Atque subjicitur (paucis post vers. 13.) & consistabant aquæ, quæ descendebant superne, consurgebantque in acervum unum &c. Quanta altitudo fuit aquarum? XII. milliarum respectu sc. castrorum Israëlis; que sententia R. Iude. Cui R. Eliezer Filius Simonis respondit. Hæc opinio vix locum invenit: Nam utrum leviores (magisque velociores putas) homines ne an aquas? Dicendum utique aquas velociores esse. Quibus concessis (nisi dicatur aquas altius duodecim milliaribus accumulatas fuisse, sequeretur) venisse aquas & illos absorpsisse. Quin igitur potius docetur, coacervatas aquas & in immensum auctas, & porticus quasi porticibus super impositas, ultra trecenta millaria, donec omnes Orientis & Occidentis Reges eas viderent, quod scriptum est (Jos. V, 1.) Sic fuit, cum audirent omnes Reges Amoræorum &c. Sed nugantur, qui in miraculis determinant, quæ Scriptura non revelavit. Miraculum in eo positum, quod aquæ consisterent & in altum assurgerent, licet alveus objecta mole non obstructus esset. Extraordinariam vero aquarum altitudinem fingere, eamque ineptis argumentis probare, non est boni interpretis. Operam perderet, qui iis prolixe refutandis insisteret, ea enim narrasse est refutasse.

§. VII.

Pluribus difficultatibus involuta sunt verba in versu 16. sequentia: Josua dicit: בָּאָרֶם מִאָרֶם הַעִיר אֲשֶׁר מֵצָר צְרָתָן: elongando valde apud Adam urbem vel ab Adam urbe: quæ ex latere Zarthan (sita est). Duplex h. l. occurrit lectio in codice Ebræo. Altera: elongando valde מִאָרֶם ab Adam urbe, secundum Keri; altera se elongando valde בָּאָרֶם apud urbem Adam, secundum Kethibh. Prior hunc sensum exhibit: aquas assurgententes procul recessisse ab urbe Adam, hoc enim significat רְחַק cuius ד constructum: Ex. xxxiii, 7. וְרְחַק מִן הַמִּחְנָנוֹת elongando a castrametatione. Adde Deut. xii, 21. xiiii, 7. Jos. viii, 4. ד enim cum hac radice constructum denotes terminum a quo elongatio fit. Consultum erit h. l. antiquas versiones.